

Cap. 5 [De virtutibus eius et gratia divina, qua in ordine consolatus est]

Nunc aliquid de virtutibus, quibus Conradus quasi novum sidus inter nebulas huius mundi resplenduit^e, in medium proferamus. Lucerna enim ponenda est super candelabrum, ut ambulantibus in domo domini lumen praebeat et ducatum. Servus enim Iesu Christi sentiens, se corpore a domino peregrinum, cottidie suspirabat et anhelabat ad supernae civitatis Ierusalem ingressum. Ergo, quo carne non poterat, regi caelesti contendebat in oratione spiritum exhibere praesentem, ut in eo contemplaretur futurae habitationis locum. Angelorum concivis iam factus et amicus sponsi quaesivit ardentem dilectum suum, a quo se solo carnis pariete sensit esse disiunctum. Orabat ergo frequentius et suspiria traxit profundius. In omnibus, quae agebat, per orationis instantiam cogitatum suum iactabat in domino. Solitus et sollicitus erat, nullam visitationem sancti spiritus cum negligentia praeterire, ne per negligentiam reatum ingratitudinis incurreret et ea quasi vento urente fontem gratiae Christi obturaret. Siquidem cum gratitudine gratiam suscepit oblatam et, quamdiu dominus concessit, perfruebatur oblata. Constitutus in itinere, si divini odoris sensit adesse spiramentum, mox sancti spiritus visitationem convertit in fruitionem. Ardebat ex medullis cordis erga dominici corporis sacramentum, eo quod sit contra peccatorum vulnera efficacissimum medicamentum et omnis virtutis et gratiae validissimum complementum. Et caelestis cibi benedictione^f percepta quasi ebrius spiritu effectus et saepius in excessum mentis raptus est. Pensum divinae servitutis in horis canonicis plene et devote persolvens spiritui sancto gratum obtulit sacrificium. In abyssu divinae bonitatis sic multoties est absorptus, ut in contemplationis excessu suspensus et supra semetipsum levatus, quid circa ipsum foris ageretur, penitus ignoraret. Quandocumque a privatis orationibus, quibus paene in alterum virum mutabatur, redibat, maxime tamen studuit, se caeteris conformare. Ostentationes vero et motus extrinsecos penitus devitabat, quia mente et spiritu ferebatur in deum. Carmen psalmodum simul corde et ore canebat, quasi dominum maiestatis praesentem videret. Licet enim iam adeptus esset utriusque hominis puritatem, non tamen cessavit, mentales oculos lacrimarum flumine facere puriores. Intuentibus eum visus est quasi homo angelicus, quippe qui mente et facie in caelum semper intentus omnes sursum trahere conabatur. Dulcissimum nomen domini Iesu expressum vel auditum iubilo quodam cor

e) resplenduit *W₁*. f) *hier bricht W₂ ab*.